

B. N. II 110.

n. 24, 2.

(X 1878962)

II A
4238

DISSERTATIO INAUGURALIS JU
DE
PROFANATIONE
REI SACRÆ,
Vulgò Secularisirung
Geistlicher Güter.

Quam
PRÆSIDE SOLO DEO,
Ex
DECRETO ATQUE AUCTORITATE
INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ,
IN ILLVSTRI HAC LVDOVICIANA,
PRO
LICENTIA,
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CONSEQUENDI,

Publico & solenni DNN. PROFESSORUM Examini
submitte

SIMON GISSMANN, Augustanus.

XV. Cal. Aug. A. Æ. C. clō Iōc XXCVII.

H. L. Q. C.

GISSÆ HASSORUM

Typis CHRISTOPH. HERMANNI KARGERI, Acad. Typogr.

de Profanatione u. Secularisirung geistl. Güter. Vol. 18. 27.



SIMON G...
M. D. C. C.

CHRISTOPH H. ...





PROOEMIUM.



Ostquam, vitæ Academicæ finem impositurus, publicum, mediante inaugurali disputatione, ambire testimonium, mecum constitui, obtulit se, quam titulus exhibet, materia de RERUM SACRARUM PROFANATIONE, quam præcæteris dignam judicavi, quæ, pro obtinendis honoribus, publice ventilaretur. Cum vero universa tum demum bene gerantur & competenter, si rei principium fiat decens & amabile DEO; hinc, antequam ad propositum meum venio, DEUM supplex oro, velit laboris mei suscepti esse principium, & medium, & terminus. *Nov. 109 in pr.* Sit itaque,

A

Th. I.

Jurisprudentiam nostram, de divinis, æquè ac humanis agere, ex *S. 1. l. de 1. & l. 10. S. 2. ff. de 1. & l.* manifesto liquet. Illæ, hominum promiscuo usui exemptæ, quodammodo in solius DEI jure ac potestate habentur, & per excellentiam, nullius in bonis esse, dicuntur, Vinn. ad *S. 7. l. de R. D.* uti sunt res sacræ & religiosæ, *S. 7. l. l. 1. in pr. & l. 6. S. 2. ff. eod.* ac per quandam analogiam & similitudinem sanctæ, *S. 10. l. de R. d.* Frantzk. ad *S. 7. l. eod. & ad h. t. ff. num. 3.* Struv. in *S. 1. C. Ex. III. th. 70.* Schneidevvin. Vinn. Bachov. Mynsing. ad *S. 10. l. eod.*

Th. II.

Sacræ res propriè vocantur, quæ ritè & publice, non privatim, *l. 6. S. 3. & l. 9. in pr. ff. de R. D.* à pontifice olim, *S. 8. l. eod.* postea ab antistite cujusque loci, *Nov. 67. c. 1. Nov. 131. c. 7.* atque in nostris ecclesiis, auctoritate ejus, cui suprema potestas vel superioritas territorialis, & vigore hujus, ius Episcopale competit, eorumque, qui ab illo sacris sunt præpositi, Struv. in *S. 1. C. Ex. III. th. 70.* DEO consecratæ sunt, *S. 8. l. de R. D. l. 9. S. 3. ff. eod.* A quibus, juridice loquendo, alias differunt ecclesiasticæ, uti *th. 23.* videre licet; quas tamen, in nostra Dissertatione, sub rebus sacris etiam comprehendimus.

Th. III.

Derivatur vocabulum profanationis à præpositione pro, & substantivo fanum, vel phanum. Et accipitur *improprie*, pro illo, quod porro, i. e. procul à fano est, & pro re impia & irreligiosa. Quæ vocis significatio, apud auctores classicos, ubivis obvia est. Tullio frequens est: *vulgus profanum, error profanus, opinio profana.* Livius hunc

hunc in modum loquitur: *dies fasti, sacra, sacerdotes profanantur.* Profani item dicebantur sacris non initiati, qui à fano & sacris arcebantur. Virg. VI. *Æn. v. 258. & seq.*

————— *Procul ô procul este profani.*

Conclamant vates.

Profanos etiam dicimus imperitos, qui Musarum sacris non sunt initiati. Hor. lib. 3. *Carm. Od. 1. v. 1.*

Odi profanum vulgus, & arceo.

Profanus usus dicitur communis & vulgaris, non sanctus. Plin. lib. XV. c. 30. adeoque in profanis usibus pollui laurum & oleam fas non est.

Th. IV.

Proprie vox profanationis sumitur pro actu, quo, ex sacro vel religioso, in promiscuum hominum usum, aliquid convertitur. Vinn. & Mynsing. ad *J. S. I. de R. D.* Hoc sensu, res profana, in Jure atque præsentis hac dissertatione, opponitur rebus sacris & religiosis, l. 83. *J. S. de V. O.* Huc quadrat illud Virg. XII. *Æn. v. 777. & seqq.*

Faune precor miserere, inquit, tuque optima ferrum

Terra tene, colui vestros si semper honores,

Quos contra Aeneada bello fecere profanos.

Alias vocatur Alienatio, & crasse Secularisatio sive Incorporatio bonorum ecclesiasticorum. In lingua vernacula audit: *Verwendung Geistl. Güter zu Weltl. Geschäften. Einziehung Geistl. oder Kirchen-Güter. Secularisirung des Stifter.*

Th. V.

Profanatio rei sacræ est actus, quo res, ad cultum divinum dedicata, auctoritate publica, promiscuo commerciorum usui, legitime rursus subjicitur.

Dividitur pro diversitate rerum sacrarum in universalem & particularem. Illa est, cum tota universitas, c. g. Archi- & Episcopatus, Abbatia, Primatus, Commendaturæ, Monasteria, civitates, præfecturæ, &c. ex statu suo ecclesiastico, per infeudationem, concessionem, aliaque media, cum omnibus suis fructibus, & redditibus annuis, in usum revocatur profanum. Hæc est, cum res singulæ, ut simulacra, sanctissima atq; arcana vasa, vel vestes, cæteraq; donaria, quæ ad divinam religionem necessaria sunt, l. 21. C. de SS. Eccles. Item redditus annui, census, decimæ, prædia, domus, molæ, &c. alienantur, aut profanantur.

Th. VII.

Profanatio hæc rerum sacrarum, sive universalis sit, sive particularis, *omni jure* licita ac permessa est, modo legitime fiat, ac justis ex causis, puta ob necessitatem, pietatem vel utilitatem publicam, vid. Cacheran. *decis. Piedemont. 68. n. 8.* Plura hujus profanationis exempla in sacris occurrunt literis, quæ de *jure divino* certiores nos reddunt. Nota est historia Davidis, qui, cum fame premeretur, panes sacros à sacerdote petiit, atque comedit, 1. Sam. 21. v. 3. & 6. quos solis sacerdotibus edere fas erat, Lev. 24. v. 9. Matth. 12. v. 4. Sic Judæorum Rex Assa, omnia aurea atque argentea templi, domusque regie supellectile, foedus, cum Syriorum rege Benhadad, initum, redemit, 1. Reg. 15. v. 18. & 19. 2. Paralip. 16. v. 2. & 3. Rex Joas, cunctas res DEO dedicatas, omnemq; templi, sedisque regie gazam Syriorum Regi Hazaeli misit, ne urbem Jerusalem obsidione cingeret, 2. Reg. 12. v. 18. Hiskias, omnem templi atque palatii sui thesaurum, Assyriorum regi Sanherib offerens, pacem obtinuit, 2. Reg. 18. v. 15. & 16. de

16. de quo Hiskia imprimis notandum est, quod fecerit, quod erat bonum coram domino, juxta omnia, quæ fecerat David, pater ejus, 2. Reg. 18. v. 3.

Th. IIX.

Nec *naturali rationi* contrariam esse illam, inde apparet, quod secundum eandem, è duobus malis minimum semper eligendum sit. Minimum vero malum est, res sacras, urgente necessitatis casu, in usus hominum converti, quam ipsas sacras ædes & altaria, hostium incendio deleri, vel ruinis devastari, & animas hominum, neglectu cultus divini, pessundari. In casu enim summæ necessitatis, nulla habetur ratio, ad quem hæc vel ista res pertineat, sed tractatur illa, ac si in statu primævo, & communi esset patrimonio, arg. l. 2. §. 2. vers. *Itidem agitatum est, ff. de L. Rhod. de jactu.* H. Grot. de I. B. & P. Lib. II. c. 2. §. 6. Frantzk. Lib. VII. resol. 2. n. 23. 30. & 31.

Th. IX.

Moratiores quoque gentes, res sacras, exigente necessitate atque utilitate publica, ad usus profanos revocarunt, Sic Theodosius Junior, annonas templorum paganorum militibus addixit, l. 19. C. Theod. de pag. & cum Honorio iussit, ut omnia loca, quæ sacris error veterum deputaverat, suæ rei socientur, l. 5. C. de pagan. & sacrif. Anglorum rex Henricus IIX. Monasteria, per totum ferme regnum, destruxisse dicitur, Horn. Orb. Polit. p. 2. pag. 92. Plura exempla vide apud Thucyd. lib. 4. Corn. Nep. in vit. Them. c. 7. §. 4. Thuan. lib. 29. p. 590, Lehman. in Chron. Spir. lib. 2. c. 35. pag. 136.

Th. X.

Approbat *Ius Civ.* in casibus dictis hanc profanationem

tionem, *J. S. I. de R. D. Auth. hoc jus porrectum, l. 17. §. 1. l. 21. & Auth. praterea, C. de SS. Eccles. Nov. 7. e. 2. §. 1. & c. 8. Nov. 46. p. tot. Nov. 65. in pr. Nov. 67. c. 4. Nov. 120. c. 6. §. 2. vers. Hoc etiam super, & c. 9. & 10. R. I. Spir. de an. 1542. §. Aber die Kirchen / Kleinoder 65. R. I. Spir. de an. 1544. §. Aber der Kirchen Kleinoder 44. Instrum. Pac. art. X. §. 7. XI. §. 4. 6. 12. XII. §. 1. 3. XIII. §. 9.* Et superiori seculo, Albertus, Marchio Brandenburgensis, Dux Borussiae, ordinem Teutonicum, tanquam starum ecclesiasticum mutavit, atque pertinentem, ad eum Borussiae partem, Polonorum regi tradidit, ut pacem obtineret, Hortleder. von Ursachen des Teutschen Kriegs *Lib. V. c. 1. f. 1949.*

Th. XI.

Nec adversatur Iuri Canonico haec profanatio. Ecclesia enim non habet aurum, ut servet, sed ut erogat, & subveniat in necessitatibus. can. 70. caus. 12. q. 2. Et gloria episcopi est, pauperum inopiae providere, ignominia sacerdotis est, propriis studere divitiis. can. 71. caus. 12. q. 2. Et quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Sic si quis jejunium fregerit aegrotus, reus voti non habetur. cap. 4. X. de R. I. Ita Pontifex Romanus, Gregorius VII. ad Romanos conciliandos, a quibus bellum sibi inferri, metuebat, circiter centies mille auri libras, hinc inde ex templis collectas, distribuit. Urbanus permisit, ut calices, cruces & imagines sanctorum aureae & argenteae conflarentur, ex iisque monetae cuderentur, quas Carolus, Ungarus, bello, Turcae inferendo, impendere posset. Hortled. part. 1. lib. 5. c. 8. p. 1269. Clemens VI. veniam iis dedit, qui Neapolim, duce Andegavensium tuebantur, ut venderent vasa ecclesiarum aurea & argentea, quibus milites suos alere possint.

Th. XII.

Th. XII.

Notabiliter vero diximus, profanationem rerum sacrum fieri debere, ex *justis causis*; nam propter favorem religionis, & ne cultus impediatur divinus, omnis rerum sacrarum alienatio, regulariter de jure est prohibita Rittershus. *in lur. Justin. p. 1. cap. 1. n. 20.* ita, ut nec alienari, neque obligari aut oppignorari possint, *l. 14. in pr. junct. auth. Hoc jus porrectum, & l. 21. C. de SS. Eccles. nec non r. t. X. de reb. eccles. alien. vel non.* Et DEUS non solum severe prohibuit, ne res sacræ in usus hominum revocarentur, sed etiam temeratores legis hujus graviter puniri jussit, *Lev. 7. v. 25. & c. 27. v. 28. Dan. 5. v. 3. Joel. 3. v. 5. Jos. 7. v. 11. 12. 15. 25. 26. & c. 22. v. 20. Act. 5. v. 3. Rom. 2. v. 22.* Immo *jus nature* nobis dicitur, & ratio nulla permittit, ut, quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur, sine causa, legibus probata, propriis cujusquam usibus applicetur. *c. 3. X. de prabend. & dignit.*

Th. XIII.

Saniores quoque gentes abstinuerunt à profanatione rei sacræ promiscua. Locum religiosum aut sacrum non possidebant, *l. 30. §. 1. ff. de acq. vel mitt. poss.* Et inutilis erat stipulatio, si quis locum sacrum, aut religiosum dari sibi, stipulatus fuerit, *l. 1. §. 9. ff. de O: & A.* Vid. Coler. *de process. execut. p. 2. c. 3. n. 137.* Cothman. *resp. jur. 10. per tot.* Quanti Romani fecerint res sacras, lex XII. Tab. innuit: *Sacrum sacra ve commendatum qui clepserit, ras pseritque, parricida esto.* Tametsi enim singulæ res facile redire possint ad jus suum arg. *l. 27. §. 2. ver. quod & in specie ff. de part.* singulare tamen obtinet in rebus sacris quæ semel rite ministerio DEI dedicatæ, *§. 8. 1. de R. D.* difficulter ad usus humanos revocantur. Vid. Rittershus.

in Iur. Justin. p. 1. cap. 8. n. 8. Hinc enatum est, proverbium: *Datum est manui mortuae*, i. e. ecclesiae. Atque civili *legislatione* cavetur, ne res sacrae ad venditionem, hypothecam vel pignus trahantur, *l. 21. C. de SS. Eccles.* neque ex stipulata debeantur, *§. 2. l. de inutil. stipul. l. 83. §. 5 ff. de V. O. neque* donentur, *l. 14 in pr. verl. scientes C. de SS. Eccles.* neque in feudum dentur, *arg. §. 1. 2. F. 3.* neque de iis libellaria sive Jus Colonarium constituatur, *l. 24. §. 1. C. de SS. Eccles. Nov. 7. in pr. verl. quidam enim dudum.* Vide etiam *R. I. de an. 1530.* §. *Etliche haben Klöster / 28. R. I. de an. 1544.* §. *Und damit der Kirchen-Güter halben / 84.* quibuscum Canones passim conveniunt. Vid. etiam *VVehner. observ. pract. lit. V. in voce ungerrecht Gut / qui ibi dicit, Kirchen-Gut fasselt nicht / Pfaffen-Gut / Raffen-Gut.* *Carpz. ad L. Reg. cap. 4. sect. 4. per tot. Myler. de Princ. & Stat. I. R. G. c. 88. §. 11. & 12. & innumeros alios.*

Th. XIV.

Sed quænam sunt justæ hæ causæ? Prima est *necessitas*, quæ in quacunque alienationis prohibitionem semper intelligitur excepta, *l. 13. ff. fam. ercisc. l. 1. pr. ff. de fund. dotal. l. ult. §. 4. C. de bon. quæ lib. in potest. patr. constit.* Requiritur vero evidens ecclesiae necessitas, *cap. 1. X. de reb. eccles. non alien. in 6.* e. g. si Ecclesia prematur vel ære alieno, quod aliunde per solvi nequeat, tunc non res solum mobiles, quæ primum in solutionem accipiendæ sunt, *l. 15. §. 2. de re judic.* sed etiam, his minus sufficientibus, res immobiles alienare, & nummis inde redactis, debitum alienum per solvere potest, *auth. Hoc jus porrectum, & auth. Preterea C. de SS. Eccles. Nov. 46. per tot. Nov. 67. c. 4. Nov. 120. c. 6, §. 2. verl. Hoc etiam super. can. 2. caus. 10. q. 2.* Vel, si bellum oriatur repentinum atque calamitosum, & defensio
adversus

adversus hostes necessaria sit tunc è templo, tanquam è propugnaculo se defendere, hostemque ab eo arcere licet. Hinc etiam clinodia & aliæ res ecclesiasticæ, tanquam thesauri, populi Christiani reputantur, quæ casu necessitatis & ingruente subito bello, ad repellendum hostem alienari possunt, *R. I. Spir. de an. 1542. §. Aber die Kirchen Kleisnoder / 65. & R. I. Spir. de an. 1544. §. Aber der Kirchen Kleisnoder 44.* Vel, si apparatus belli, adversus Turcam sunt instituendi, *R. I. de an. 1542. §. Und zu diesem Christl. 61. & R. I. de an. 1544. §. Und zu diesem Christl. 34.* Hinc refertur in Recessu Imperii Augustano de an. 1530, quod Imperatori Ferdinando, Clemens Pontifex, ad expeditionem belli Turcici, tam Clinodiorum, quam aliarum pretiosarum ecclesiasticarum, immobiliumque rerum alienationem quamvis non sine gravamine statuum Imperii, concesserit, vid. *R. I. §. Nachdem Chur-Fürsten / 129.* Vel, si pax, quæ semper bello iniquo præferri debet, redimenda est ab hostibus, & defendenda religio. Hinc in *Instrum. Pac.* hæ formulæ inveniuntur: *Publicæ tranquillitatis causa. Ob pacem publicam melius faciliusque stabiliendam, &c.*

Th. XV.

Altera profanationis & alienationis, rei sacræ & ecclesiasticæ causa, est evidens ecclesiæ utilitas, *cap. 1. X. de reb. eccles. non alien. in 6. l. 14. §. 5. C. de SS. Eccles.* Causa enim utilitatis, hic causæ necessitatis æquiparatur, *cap. fin. X. de eccles. edific. vel repar. Clem. 1. de reb. eccles. non alien.* Et à quacunq; dispositione ac prohibitione intelligitur excepta publicæ utilitatis ratio, *l. 3. §. 14. ff. de Scto Syll. l. 3. §. fin. ff. cum l. seq. de O. N. N. l. 5. C. de LL. l. 11. C. de curs. publ. & angar.* E. G. si res ecclesiæ pro re utiliori vendatur, *can. 52. caus. 12. q. 2. cap. 7. & 8. X. de his, quæ fiunt à Prel. cap. 8. X. de reb. eccles.*

eccles. alien. vel non. Quam alienationem si de utilitate ecclesie & re meliori certo constet, subsistere, etiamsi solennitas requisita non accesserit, multis defendit Mantica *lib. 25. tit. 6. n. 39. & seqq.*

Th. XVI.

Addunt duas adhuc causas alii, quamobrem res sacras & ecclesiasticas, in usus profanos concedere, atque eas alienare, licitum sit; caulam nim. pietatis & incommoditatis. *Causa pietatis* est, si captivi sint redimendi, *§. 8. l. de R. D. l. 21. C. de SS. Eccles. Nov. 7. c. 8. Nov. 65. Nov. 120. c. 9. & 10. can. 13. & seqq. caus. 12. q. 2.* quoniam non absurdum est, animas hominum quibuscunque, vasis, vel vestimentis præferri, *l. 21. C. de SS. Eccles.* Imò ornatus sacramentorum, redemptio est captivorum, *can. 70. caus. 12. q. 2.* Aut pauperes alendi, atque iis, quoquo modo, e.g. tempore intolerandæ famis, vel, si non habeant, unde humo inferri possint, succurrendum sit, *l. 21. C. de SS. Eccles.*

Th. XVII.

Causa incommoditatis est, si res sacræ & bona ecclesiastica, ecclesie magis damnosa sint, quam proficua, aut ob nimiam eorum abundantiam. Nec enim struitur ecclesia auro, sed destruitur, Sulpit. Sev. *dial. 1.* Aut si magni sumtus in eam sunt faciendi sine fructu, aut quia res ecclesie longius posita est, *can. 53. caus. 12. q. 2.* & pro alia commodiori permutatur, vel venditur, Cothm. *vol. 1. consil. 28. n. 14. & seqq.* sed hæ duæ posteriores causæ, implicitam habent utilitatem, ideoque reduci possunt ad priores, & duæ tantum constitui alienationis causæ, *evidens scilicet necessitas, aut utilitas.* VVescnb. *part. 2. consil. 59. num. 18.*

Th.

Incidit hic quaestio, an res legata & relicta ad certum usum pium, si in ipsum, ob causas certas, converti nequeat, quia vel usus iste sublatus est, vel impius & superstitiosus deprehensus, aliis profanis usibus impendi possit? quod negatur, sed potius ea in alium pium usum erit convertenda, *arg. l. 16. & 17. ff. de usu & usufr. leg. & arg. l. 4. ff. de admin. rer. ad civit. pertiu.* Sic Hiskias templum à superstitioso DEI cultu purgavit, veræ restituit religioni, & pascha celebravit, *2. Paralip. 29. & 30.* Constantinus M. gentilium templa, vero DEO dedicavit, *Sozomen. lib. 2. hist. eccl. c. 3.* Euseb. *lib. 4. in vit. Constit. c. 43. & 45.* Imperatores Arcadius & Honorius, templa Donatistarum & Anabaptistarum, in templa, vero DEI cultui servientia, commutarunt. Sic post reformationem B. Lutheri plurima monachorum bona, & res alia ad usum pontificiorum divinum, pertinentes, ab A. C. Statibus, ad alium pium usum, & recip. salutem, ad Academias constituendas, ministros ecclesiae alendos, pauperes sublevandos, studia promovenda, & alios pios usus destinatae sunt, qua de re vide longius differentem Hortled. in *Reichs-Handlung/ von Ursachen des Teutschen Kriegs lib. 4. cap. 7. n. 10. fol. 126.* Hieronym. Schuff. *cent. 1. consil. 47. n. 11. usq. ad n. 14. & in ead. cent. consil. 90. Cothm. 2. cons. 100. n. 26. & seqq.* Et quamvis maximæ, ob profanationem & alienationem rerum sacrarum & ecclesiasticarum, inter Evangelicos & Romano-Catholicos, exortæ fuerint lites, tamen eas Imperii Proceres, interveniente Imperatoris auctoritate, jam in comitiis, Augustæ Vindel. an. 1555. celebratis, composuerunt, atque unanimiter decreverunt, ut bona ecclesiastica, tunc temporis occupata, in eo debeant relinqui statu, quo

tempore constitutionis istius fuerunt, vid. R. I. de an. 1555. §. Diweil aber etliche Stände 19. & §. seq. Als auch den Ständen 21. Sed etiam ad subsequuta tempora id extensum, ita ut hodiè per Instr. Pac. art. V. §. 12. terminus anni 1624. cum in rem sit statutus.

Th. XIX.

Dictum in definitione, *publica auctoritate* profanari res sacras, quinam vero hac auctoritate polleat, & cui res sacras & ecclesiasticas alienare, ac ad profanum convertere usum liceat, de eo Protestantes & Romano-Catholici inter se non conveniunt. Equidem postremi acriter defendunt, ecclesias, monasteria, & alia loca pia, eorundemque bona & jura exempta esse ab omni jurisdictione seculari, l. 14. in fin. & l. 21. C. de SS. Eccles. cap. 2. X. de judic. cap. 7. X. de for. compet. cap. 7. de prescript. quia res sacræ & ecclesiasticæ sint in dominio & patrimonio Christi, cap. 16. X. de preb. & dignit. cap. 34. ver. nos super hoc de elect. & elect. potest. in 6. Hinc neminem de iis, nisi solum pontificem Romanum, tanquam Christi vicarium, disponere posse contendunt, can. 24. caus. 1. q. 7. can. 7. caus. 16. q. 7. c. X. de for. compet. cap. 4. X. de caus. poss. & propriet. cap. 7. X. de prescript. cap. 5. X. de jur. Patron. Ea enim quæ divina sunt, Imperatoris potestati non esse subjecta, can. 21. caus. 23. q. 8. & ut in dict. can. dicitur, ad Imperatorem palatia pertinere, ad sacerdotem ecclesias. Et Ambros. in alleg. can. hunc in modum loquitur: Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, Imperiale aliquod jus habere, noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto DEO subditus: Scriptum est, quæ DEO DEI; quæ Cæsaris Cæsari.

Th. XX.

Contra nos statuimus, ea, quæ DEO vel ecclesiæ dicantur, ab usibus quidem secularibus, non vero dominio & potestate principis & reip. dum ipsa ecclesia in rep. est, nec lege, nec ratione politica excepta vel exempta esse, Rhet. in *Inst. Jur. Publ. Lib. 1. tit. 2. §. 100.* Ipse Christus & Apostoli sui, ecclesiam à jurisdictione seculari non exemerunt, *Act. 25, 10. Rom. 13, 1. 1. Pet. 2, 13. seqq.* quippe quæ Principum suorum jurisdictionem agnovit, *Act. 16. v. 20.* iisq; persolvit tributum, *Matth. 17. v. 25.* vid. etiam *can. 22. caus. 23. q. 8. can. 28. caus. 11. q. 1.* Et, uti summis potestatibus sive regibus & principibus sacrorum & cultus divini cura incumbit, *Deut. 17. v. 18. 19. Jos. 1. vers. 7. 2. Reg. 11. vers. 2. 2. Reg. 12. v. 5. 6. 7. 2. Chron. 23. v. 11. Es. 49. v. 23. Es. 60. v. 10. R. I. de an. 1544. §. Erstl. der strittigen Religion 77. & §. Derohalben wir geneiget 79. R. I. de an. 1545. §. Dies weil wir aber 7. R. I. de ann. 1548. §. Nach dem auch 3.* Ita quoque licitum iis est, res sacras & ecclesiasticas alienare ac profanare. Sic rex Josaphatus lucos extirpavit & excelsa solo æquavit, *2. Chron. 17. v. 6.* Idem fecit Hiskias, qui æneum quoque serpentem in pulverem redegit, *2. Reg. 18. v. 4.* Ferdinandus, Hispaniarum rex, bellum compactans adversus Granatenses, amplissimas prælaturas apparatusi bellico insumsit. Et reges Bojemix, cœnobiorum, monasteriorumque bona pro lubitu vel distrahunt, vel oppignorant juxta *Stranski de repub. Boj. c. 5. p. 170.*

Th. XXI.

Hodie potestas alienandi & profanandi res sacras & ecclesiasticas, Statibus Imperii Evangelicis concessa est per Transactionem Passaviensem & Pacem religiosam, R. I.

de an. 1555. §. Damit auch 20. & post in diversis Imperii legibus fundamentalibus imprimis verò in *Instrum. Pac. art. V.* ibi enim Jurisdictio pontificum Rom. ecclesiastica, in terris Protestantium est suspensa, jamque illam exercent Protestantes in suis territoriis, jure superioritatis territorialis.

Th. XXII.

Objectum seu materia profanationis sunt res sacra. Quæ in duplici sunt differentia. Vel enim in specie sacra dicuntur, vel ecclesiastica. Res sacrae in specie tales sunt, quæ rite & publice seu publica auctoritate interveniente, non privatim, l. 6. §. 3. ff. de R. D. l. 9. in pr. & §. 2. ff. eod. a. pontifice olim, §. 8. l. eod. Nov. 5. c. 1. Nov. 67. c. 1. Nov. 131. c. 11. can. 22. caus. 1. q. 1. can. 10. caus. 18. q. 2. can. 3. §. 9. 25. dist. 1. de consecrat. Sed hodie apud Protestantes, à principe, tanquam Episcopo, per ecclesiæ ministros, ad cultum divinum perpetuum publicum immediate atque principaliter sunt destinatae, vid. Struv. in S. J. C. Ex. III. th. 70. & in S. I. F. c. 6. aph. 15. in fin. Et inde propter singularem hanc qualitatem absolute commerciis hominum exemptæ sunt, §. 8. l. de R. D. arg. l. 1. in pr. ff. eod. l. 21. C. de SS. Eccles. Nov. 46. in pr. Nov. 67. c. 4. quales censentur tam mobiles, ut donaria divino cultui sacrata, l. 4. §. 1. ff. ad L. Jul. Pecul. imagines, vestes, calices, libri, ornatus ædium sacrarum, vasa aurea & argentea, quam immobiles, ut ædes sacrae, cum area & finibus suis, monasteria, aliasque pia & venerabilia loca, auth. multo magis, C. de SS. Eccles. Hinc diruto templi monasteriique ædificio, locus adhuc sacer manet, ut alienari nequeat, §. 8. l. de R. D. l. 6. §. 3. ff. eod. Secus est, in rebus sacris mobilibus, quæ fra-
ctæ

Etæ sunt, partes enim ejus sacrae non manent, *auth. præ-
terea C. de SS. Eccles.* Ubi simul notandum, quod Groen-
vveg. *ad §. 7. I. de R. D.* Ecclesias Batavorum & Seelan-
dorum, non referat ad res sacras, sed ad res humanas, cu-
jus tamen auctoris sententia, ab aliis refutatur, vel in du-
bium vocatur.

Th. XXIII.

Res ecclesiastica dicuntur, quæ sunt in patrimo-
nio vel dominio ecclesiæ, monasterii, aliorumque colle-
giorum, ad pios usus fundatorum. Struv. in S. J. C. *Ex.*
III. th. 71. nec immediate ac principaliter cultui divino
publico inserviunt, sed vel ad fabricam ecclesiæ & susten-
tationem ministrorum ejusdem aliamq; piam causam spe-
ctant, Majer. *ad §. 8. I. de R. D.* Hæ facilius in hominum
commercium cadunt, *l. 6. C. de contrah. emt. & vendit.* &
vocantur *bona ecclesiastica*, quia eorum proprietas pertinet
ad ecclesiam, *arg. l. 14. C. de SS. Eccles. auth. omnes peregrini*
C. commun. de success. cap. 10. & 11. X. de testam. & ult.
volunt. ut sunt tam mobilia, e. g. annui reditus, census,
decimæ, quam immobilia, e. g. domus, vineæ, prata, pa-
scua. Atque hæc non simpliciter alienari aut profanari
prohibentur, *arg. l. 17. §. 1. C. de SS. Eccles. l. 21. junct. auth.*
præterea C. eod. Nov. 46. pr. Nov. 67. c. 4. Nov. 120. c. 6.
§. 2. can. 70. caus. 12. q. 2.

Th. XXIV.

Hic dubium moveri posset, an liceat personis eccle-
siasticis, ulla temporalia bona possidere, præter primitias
& decimas, quia in sacris bibliis memoriae proditum est,
populum Israel, jussu DEI, nullam terræ promissæ & oc-
cupatæ

cupatæ portionem sive possessionem reliquisse stirpi Levi & Sacerdotibus, Num. 34. vers. 13. & seqq. Jos. 14. v. 3. & seqq. Ezech. 44. vers. 28. Sed ad hæc loca respondent Theologi, prohibitam quidem fuisse possessionem sacerdotibus hereditariam, minus vero, domum, pratum, vineam suam, resque alios, DEO & ecclesiæ dedicare. Quin immo consecratio harum rerum ad jus sacerdotum pertinebat, neque ab hominibus adimi vel redimi poterat. Lev. 17. v. 5. can. 3. can. 12. q. 2. Sic hodie ecclesiis non solum testamento mobilia & immobilia bona relinquere possunt, sed & donatione inter vivos, quæ donatio adeo efficax est, ut etiam sine insinuatione ad 500. usque solidos subsistat, l. 19. C. de SS. Eccles. l. 34. C. de donat. Perez. ad Tit. Cod. de SS. Eccles. n. 12.

Th. XXV.

Ulterius quæritur, an magistratus politicus profusam Laicorum largitionem in ecclesias prohibere possit? quod affirmari potest; quia nimix divitiæ ecclesiæ semper plus nocuerunt, quam profuerunt, Quo enim magis ditescit, eo magis periclitatur, Vasq. lib. 1. controvers. cap. 6. sub Christianis quidem, inquit, Bernhardus; Imperatoribus, profecit ecclesia opibus, defecit vero virtute. Et hujusmodi immodica in ecclesias profusio, vergit in damnum reip. cujus salutem magis tueri convenit, l. 3. §. pen. ff. de off. pres. vigil. quæ hisce immensis donationibus enervatur, ut necesse sit, Laicorum onera augere. Propterea, ea, quæ contra bonos mores fiunt, aut salutem, reip. lædunt, nos non facere posse, credendum est, arg. l. 15. de condit. instit. Et tantum hoc possumus, quod honeste possumus, arg. l. 7. ff. de usu & habit. Hinc
ne

ne opes ecclesiarum in dies magis atque magis augerentur, in Gallia sancitum fuit, ut, quæ prædia deinceps collegiis ecclesiasticis dono data fuerint, vendere cogentur. Bodinus *de rep. lib. 5. cap. 2.* Sic tempore Angliæ regis Eduardi I. decretum factum est, ne, cuiquam liceret prædia dare collegiis monachorum, idque fuit confirmatum ab Henrico V. Polydor. Virgil. *lib. 17. histor. Angl.* Veneti, edictum promulgarunt, ne in posterum ulli Laicorum licitum sit, bona immobilia, in personas ecclesiasticas transferre.

Th. XXVI.

Neque prætereunda est controversia illa gravissima, an Romano-Catholici, bona ecclesiastica, Statibus A.C. salva conscientia, per *Instrum. pac.* ad alios usus relinquere potuerint? quod utique affirmandum est. Etenim, bona Episcopatum & monasteriorum pleraque in S. R. I. privilegiis non fruuntur ecclesiasticis, sed sunt Imperii feuda, quæ licet à Statibus Ecclesiasticis possidentur, non tamen proinde feuda esse desinant, sed nihilominus tales Status Imperatori, intuitu beneficiorum seu bonorum horum feudalium, quæ ab eo & Imperio habent & recognoscunt pariter atque Principes seculares subiecti sunt. Nec enim omnia, quæ ab ecclesia possidentur, spiritualia sunt, eaque libera. Covarr. *pract. quest. 134. num. 20.* Menoch. *cons. 291. n. 10.* Gail. *1. Observ. 30. num. 1. seqq.* Ecclesiastici, ut Status Imperii, ratione bonorum feudalium imperii, ejusdem sunt conditionis, cum ducibus, comitibus, in suis territoriis, adeoque Imperator jurisdictionem in eisdem habet, ratione bonorum feudalium, privilegiorum & regalium, unde etiam,

ex natura feudi, onera Imperii ferre, & collectas solvere tenentur, & in Camera conveniuntur, Mager. *de Advoc.* c.17. num. 164. unde nullum est dubium quin ea Imperator & Status Imperii, in alios usus transferre possint. Ut enim res ecclesiasticas, in humanos concedere usus est licitum, si id fiat publicæ utilitatis causa; ita multo magis permissum erit, si alienentur aut profanentur, in casu extremæ necessitatis. Sed summa exigebat necessitas, bona ecclesiastica, Statibus Evangelicis in alios usus concedere, quia Germania cuncta diutino intestino bello fessa erat, neque tamen pax tranquilla, aliter sperari & obtineri poterat.

Th. XXVII.

Modi, alienandi ac profanandi res sacras & ecclesiasticas *varii* sunt. Possunt enim hæ res fieri alienabiles ac profanæ, *per occupationem* quando tempore belli, bona diripiuntur ecclesiastica, & in profanos usus rediguntur, R.I. de an. 1530. §. *Nach dem seither* 59. Nonnunquam Principes, bona ecclesiastica, eorundemque redditus, fisco suo adjungunt, aliisque profanis applicant usibus, quibus bona adhibentur secularia. Vel *per concessionem*, quando summa Majestas, hujusmodi res, aliis in usum concedit profanum, vel *jure allodiali*, ut annis retro lapsis, plurima monasteria, aliaque bona ecclesiastica Laicis utenda, fruenda concessa, vendita, militibus, stipendii loco, attributa, aliisque modis, in usus humanos conversa fuerunt, vel *jure feudali*, quando Episcopatus, Prælaturæ, Commendaturæ; sub titulo Ducatus secularis in feudum dantur. Sic in Instrum. Pac. art. X. §. 7. Archi-Episcopatus Bremensis & Episcopatus Verdensis, regno Sueciæ, in
per-

perpetuum & immediatum Imperii feudum, sub solitis quidem insignibus, sed titulo ducatus, datus est. Similiter Electori Brandenburgico concessa erat expectantia in Archi-Episcopatum Magdeburgensem, *art. XI. §. 6.* id quod jam effectui datum. Eidem Electori, traditus fuit Episcopatus Mindensis, Halberstadiensis: *art. XI. §. 4.* & Caminensis, *art. XI. §. 12.* Pari modo Monasterium sive Prælatūra VValckenried, una cum prædio Schauven, perpetuo feudi jure, ducibus Brunvicensibus & Luneburgensibus, collata fuit. *art. XIII. §. 9.* Porro Episcopatus Suerinensis & Ratzenburgensis, jure perpetui & immediati feudi, duci Megapolitano Suerinensi, *art. XII. §. 1.* nec non Commendæ Ordinis equestris Joh. Hierosolymitani Mitovv & Nemerovv, concessæ sunt, *art. XII. §. 3.* Nec minori jure Abbatia Hirsfeldensis Serenissimis Hassiæ Landgraviis sub titulo Principatus in Feudum data. *art. XV. §. 1.* Vel per *prescriptionem*, qua bona acquiruntur ecclesiastica mobilia triennio, *auth. quas actiones, C. de SS. Eccles. Nov. 111. c. un. vers. nihil penitus. can. 16. in fin. caus. 16. q. 3.* Immobilia a. tempore longissimo s. 40. annis, *auth. quas actiones. C. de SS. Eccles. Nov. 9. in pr. Nov. 111. c. 1. Nov. 131. c. 6. cap. 4. & 8. X. de prescript.* Excipitur tamen ecclesia Romana, cui non alia potest opponi, quam centenaria præscriptio, *auth. quas actiones, C. de SS. Eccles. can. fin. caus. 16. q. 3. cap. 13. 14. & 17. in fin. X. de prescript.*

Th. XXVIII.

Profanatio rei sacræ & ecclesiasticæ legitime, h. e. observatis solennitatibus fieri debet. Alia verò à *Iure Civ.* præscribitur solennitas, alia à *Iure Canonico.* Illa in deo

suetudinem abiit, quam vide apud Perez, *ad Tit. C. de SS. Eccles. num. 24.* & Rittershus. *in Iur. Iustin. p. 1. c. 8. n. 43.* & *seqq.* Er hodierno die sufficit solennitas Iuris Canonici sive Canonica, quæ tria requirit: primo solennem atque diligentem causæ cognitionem sive tractationem *cap. 1. X. de dieb. eccles. non alien. in 6.* Bona enim ecclesiæ æquiparantur bonis pupillorum atque minorum, quæ sine causæ cognitione distrahi nequeunt. Secundo, causam profanationis atque alienationis justam & legitimam, *can. 52, caus. 12. q. 2. cap. 7. X. de reb. eccles. alien. vel non.* quæ, si deficiat, non subsistere potest profanatio, cum nec bona minorum immobilia, nisi ex causa justa & sufficienti alienari permittantur, *l. 22. C. de admin. tut. vel curat.* Magistratus enim super re ecclesiastica alienanda aut profananda nunquam decernere, nec in eam consentire potest, nisi rem bene cognoverit. Carpzov. *in Iurispr. eccles. Lib. 11. defn. 302. n. 4.* Tertio, Auctoritatem sive decretum Episcopi, cum consensu capituli, *can. 41. & 73. caus. 12. q. 2. cap. 8. X. de his, quæ fiunt a præl. cap. fin. X. de reb. eccles. alien. vel non. cap. 2. de reb. eccles. non alien. in 6.* quemadmodum nec bona pupillorum & minorum sine interpositione decreti alienari queunt, *l. 22. C. de admin. tut. vel curat. & t. t. C. de præd. min. sine decret. non alien.* Olim igitur absque consensu totius capituli alienari non poterant bona ecclesiastica. Cum vero hodie Jurisdictio ecclesiastica cum omnibus suis speciebus, in terris Statuum Evangelicorum, per pacem Religiosam vid. R. I. de an. 1555. §. Damit auch 20. & subsecutum Instrum. Pac. art. V. §. 47. suspensa sit, & ad Status Evangelicos, cum omni jure episcopali, eadem redierit, quod per consistoria sua, quæ etiam Capitulum repræsentant, exercent, hinc
ad

ad validam rei sacræ & ecclesiasticæ alienationem ac profanationem, decretum Magistratus Ecclesiastici seu Consistorii accedat, oportet. Carpzov. *in Jurispr. consist. lib. 2. defin. 300. n. 9.*

Th. XXIX.

Hæque adeo à *Iure Canonico* requiruntur solennitates, ut una saltem omiſſa, alienatio ac profanatio rei sacræ & ecclesiasticæ, ipſo jure ſit nulla, *cap. 22. X. de reſcript. cap. 37. X. de off. & poteſt. jud. deleg. cap. 19. X. de reſtit. ſpoliat. cap. 10. X. de hiſ. quæ ſunt a Præl.* Nam paria ſunt, in jure fieri & non recte fieri. Et forma non ſervata, actus plane nullus eſt. *Zaf. lib. 1. conſil. 5. num. 94.* Excipitur hic caſus ſummæ neceſſitatis, & evidens eccleſiæ utilitas. Tunc enim hæ ſolennitates interveniſſe cenſentur, *Menoch. conſil. 817.* Sic quoque in aliis caſibus, ſolennitates, jure requiſitæ, interveniſſe præſumuntur, ſi in inſtrumento ita ſcriptum ſit, *l. 30. ff. de V. O.* quamvis incertum ſit, rem geſtam eſſe, adhibitis omnibus ſolennibus, quibus ad eam jure opus eſt. Notandum tamen hic, quod *Wefenb. Lib. 2. Conſil. 59. num. 23.* ait, hæ, quæ de jure, requiruntur ſolennitates ad profanationem rerum ſacrarum, non ubiſvis locorum, tam ſtriçte obſervari.

Th. XXX.

Finis profanationis præcipuus eſt *utilitas tum rei publ. tum eccleſiæ.* *Effectus* verò conſiſtunt in hiſ: *Primo*, quod res hujusmodi, in uſum profanum converſæ, ſint in dominio acquirentis, quæ antea in nullius bonis fuerunt, *ſ. 7. l. de R. D.* *Secundo*, quod acquirens dominus, de hiſ rebus acquiſitis, ſi ſint allodiales, prout ipſi

9477 4238

22

libitum fuit, possit disponere, easque quocunque titulo alienare, sin vero feudales, non nisi cum consensu domini & agnatorum, *arg. c. 2. 2. F. 34. & c. 1. 2. F. 39.* *Tertio*, quod hujusmodi res, ut res aliæ profanæ & alienabiles, publicis subjiciantur oneribus, quæ antea à tributis & collectis liberæ immunesque fuerunt, *l. 22. C. de SS. Eccles.* *Quarto*, quod hujusmodi res, ut res aliæ profanæ, præscribi, & possessio per exceptionem & per remedia possessoria defendi, amissæ verò res per actionem repeti possint, *arg. l. 52. ff. de A. R. D.* denique *Quinto*, quod hujusmodi res, factæ profanæ, tribuant interdum dignitatem ducalem & principalem immo etiam Votum & sessio in comitiis, inter seculares inde habea-

tur.

FINIS.



COROLLARIA.

- I. **A**N Legatus, in alterius terris delictum publicum committens, aliquando morte mulctari possit, dubitatur.
- II. *Filiusfam. de peculio adventitio extraordinario testari nequit.*
- III. *Fædus cum infidelibus inire, illicitum est.*
- IV. *Res sacra in Iure, certo modo refertur ad res vitiosas.*
- V. *Tutela testamentaria in Electoratu non habet locum.*
- VI. *Legitimati per subsequens matrimonium in feudis succedunt.*
- VII. *De Iure Canonico non datur actio ex nudo pacto.*

(0)

V 177

B. M. H. 110.
h. 242.

DISSERT
PR

PR
DE
INCLYS
IN

SUMMOS
E
Publico &

SIM

Typis C
de Profana

S JU
IONE

E,
iter.
DEO,

CITATE
JURIDICÆ,
CIANA,

A,
E HONORES
RALIA

DRUM Examini

Augustanus.
CVII.

R. I, Acad. Typogr.
Vol. 12.
27.

II A
4238

